



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Crvdelitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

adiutor, si per se non potest. De eo qui nullo modo potest bibere vinum, dicitur quod ordinari non debet, neque ordinatus celebrare: quia non posset perficere sacramentum sumendo sanguinem. Neque fœmina promoueri potest: quia ordinis huius capax non est, secundum Gul.

CREDERE.

CREDERE in Deum ita est necessarium omnibus habentibus usum liberi arbitrij, quod qui nou credit, est in mortali, quia sine fide est impossibile placere Deo. Hebræ. 6.

CREDERE articulos fidei explicitè, maxime illos, qui solennizatur in ecclesiis, omnes Christiani sub præcepto tenentur, ut mysterium trinitatis, incarnationis, passionis, & huiusmodi, alia autem implicitè, sed magis, & minus, secundum personarum qualitatem, secundum Tho. secundæ. q. 2. arti. 7.

QVIS habens officium docendi fidem, ut prælati, prophetæ, sacerdotes, doctores, prædicatores, tenetur credere explicitè totale distinctionem articulorum, secundum substantiam, non autem aliij, secundum Tho. veri. q. 14. a. 11.

Nullus potest excusari, si non credit, infra, fides. q. 1. Credere autem est cum assensu cogitare, secundum quod à voluntate determinatur ad unum, ex Tho. vbi supra.

CRAPPVL A, in ver. Gula.

CHRI S M A, suprà, Confirmatio.

CRVDELITAS.

CRVDELITAS qua quis modum puniendi excedit notabiliter, mortale peccatum est: quia contra bonum proximi, & contra ordinem iustitiae, quæ modum in delictorum punitione statuit, & secundum Tho. secunda secundæ. q. 119. a. 1. opponitur directè virtuti clementiae.

CURIOSITAS.

CURIOSITAS, cùm importet inordinatum appetitum cognoscendi, sive per intellectum, sine per sensum, peccatum est, quia plus quam rationabili appetitu protrahit. Non est

autem peccatum mortale ex se, sed ex adjuncto, secundum Caiet. ibi. & hoc multis modis. Primo, si ordinetur ad finem qui scit mortale peccatum, ut qui vult scire quomodo hant viures palliatæ, ut eas faciat. Secundo, quando vult scire à quibus non licet, ut à dæmonibus, à quibus prohibetur sciencie. 26. q. 1. c. illud. Tertio, quando vult scire quæ non licet, ut dicta in confessione, vel alia secreta, &c. & ea, quæ prohibentur addisci, & doceri, ut artes magicæ, & huiusmodi: quia eadē culpa est addiscere, quæ & docere, in leculpa. C. de male. & ma. nisi aliquis bonus finis excusat, ut ad impugnandum. Facit c. nec mirum, 26. quæst. 5. Quartò, velle videre ea, vel cognoscere, quorum cognitio est alicui periculosa cadendi in mortale, ut videre coenentes bestias, vel homines, vel sciencie modos secretos agendi turpia, vel huiusmodi, tūc curiositas in tali esse peccatum mortale, quia exponere se mortali probabiliter, est peccatum mortale, sicutus quando non esset tale periculum. Ideo quod vni potest esse mortale, alteri potest esse veniale, vel nullum. Quinto, si propter curiositatem omittat ea, ad quæ tenetur sub præcepto, ut missam, confessionem, vel studere ea, que tenetur, &c. sicut multi clerici propter curiositates poetatum, &c. non vacant scripturis, & canonibus, quos tenentur scire. Facit cap. nonne. d. 37. Sexto, quando facit prohibita, vel patitur, ut expeririatur aliquid, sicut mulier ut expeririatur deflationem cum viro, vel ex curiositate facit incantationes, &c. Septimo propter scandalum, ut quando quis vult scire quid dixit talis de eo, & est curiosus valde in hoc peccat, quia exponit se scandalum fecuturo, quia dum sciet tale maledixisse de eo, mouebitur ad odiū, vel persecutionem contra eū. Ex his regulis poterit quis facilè videre, quando est curiositas mortalis, vel venialis.

VELL videre aliquid quod ex se mortale est, quando non placet sibi illud, nec est periculū probabile, quod k quis

